

denominatur *efficiens*. Ratio, quia *agens* & *causa efficiens* idem sunt seu eadem causa, quod etiam in auctores in contrarium adducti fatentur. Jam verò actio est id ipsum, per quã, ut *formã*, denominatur *agens*. Ergo. Rationem Minoris suppeditat exemplum ab ambulatione desumptum. Ab ambulatione formaliter aliquis dicitur ambulare sive quod idem est, ambulatio est forma per quam denominatur aliquis ambulare. Quemadmodum igitur ambulatio se habet ad ambulans, ita etiam se habet *actio* ad *agens*. At hisce sese opponit Javellus duobus argumentis, quorum (I.) est; Effectus non est causalitas, sed actio est effectus causæ efficientis. Ergo non est ejus causalitas. Respondemus cum Suarezio Minorem negando. *Actio* quippe accepta formaliter proprie loquendo non est effectus, verum id quo aliquid efficitur & ut *actio* illa oriatur ab efficiente, non tamen ab ea ut effectus, sed tanquam ratio, per quam producit effectum, oritur. (II.) Potest esse aliquid *causa efficiens* alicujus, remota vel cessante actione, seu ut amplius non agat; Ergo *actio* non est *causalitas causæ efficientis*. Probatur consequentia; quia *causalitas* est id, per quod aliquid actu est causa, jam si *actio* à *causa efficiente* abesse potest, ultro sequitur, quod *actio* non sit *causalitas* ejus. Probatio antecedentis videtur esse desumpta ab exemplo: Sol enim producto jam auro, vera auri à se producti *causa efficiens* est. Jam autem omnino verum est, pendere aurum à sole ut ab efficiente causa, & tamen *actio* illa, qua sol aurum produxit, jam cessat nec amplius durat. Sed respondemus negando, quod cessante actione dici aliquid possit actu & formaliter alicujus rei causa efficiens, utut forsitan dici possit *causa effectrix* nominaliter, ut loquitur Francisc. Bonæ Spei, eò, quod produxerit aliquando vel producere potuerit aliquid, quomodo v. gr. Pater dicitur causa efficiens filii adulti non actu participaliter, sed nominaliter, quia olim eum generavit. Ultimo loco adhuc unum argumentum lubet in contrarium afferre, & est tale: Omnis causalitas est in causa, cujus est & dicitur causalitas. *Actio* non est in causa efficiente, quia non est in agente sed in patiente. E. non est ejus causalitas. Respondemus negando majorem. Si enim aliquid dicitur *agens* per denominationem